



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Judicium Ecclesiasticum Seu Decretalium Gregorij IX.
Pont. Max. Liber II.**

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

Titulus IX. De Ferijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74990)

TITULUS IX.

De Ferijs.

Etiam Feriæ Dilationes quædam sunt, vel potius causæ Dilationum; nam ijs durantibus, in Jus vocari nemo, nec Actus Judiciales exerceri possunt: hinc appositissime Titulo de Dilationibus subiungitur Titulus de Ferijs.

§. I.

De Feriarum Natura, Varietate, Introductione &c.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Feriarum diversa nomina.
2. Definitio.
3. 4. Diversitas.
5. An ferie messium, & vindemiarum concedi omnibus debeant?
6. 7. Dies feriatii qui, & an omnes Judiciales?
8. Profanas instituit Princeps secularis.</p> | <p>9. 10. 11. 12. Sacras solus Magistratus Ecclesiasticus.
13. Universales solus Papa.
14. Episcopus pro sua Diœcesi.
15. An induci possint per consuetudinem?
16. 17. 18. 19. Quando incipiant?
20. 21. An renuntiari iisdem possit?</p> |
|--|---|

Quæritur 1. quid sint Feriæ? *n.* Feriarum nomen à feriendis hostijs desumptum est, eò quòd ijs diebus immolabantur Dijs Victimæ juxta Fectum l. 6. Variafortiuntur nomina; nam 1. appellantur *Dies feriatii*: ita Ulpianus l. eadem 2. ff. h. tit. 2. Nonnunquam dicuntur *Dies festi*: ita Impp. l. si quando C. de statutis & imag. ad quorum distinctionem dies reliqui appellantur *communes*. 3. Vocantur *Dies devotionum*, quòd pleræque eo sine sint institutæ, ut ijs populus Orationi, & alijs operibus pijs vacaret *can. placita 2. caus. 1. §. 4.* 4. Denique non rarò vocantur *Dies Nefasti*, eò quòd nefas sit illis diebus in Jure, & Judicio quidquam proponere: ad quorum distinctionem cæteri dies vocabantur *Dies Fasti*, quòd fari illis diebus Judici liceat tria verba, *Do, Dico, Addico*, ut eleganter expressit Ovidius:

Ille Nefastus erit, per quem tria verba silentur:

Fastus erit, per quem Lege licet agi.

In Ecclesia omnes dies hebdomadæ, præter Dominicam, dicuntur Feriæ, & hoc ideo, quia Clericis omnes dies esse Feriæ debent, ut habetur *c. cum creatura 11. de celebr. Missar. ibi pro festo, vel feria, ubi Honorius fecerit diem festum à feriato, & Feriam accipit pro die communi hebdomadæ, Festum pro die Divinis Officijs dedicato.* Prout hoc Titulo accipitur Feria, comprehendit dies omnes, quibus Judicia celebrari non possunt, & conf. etiam Dies Festos. Definiri autem Feriæ sic acceptæ possunt, quòd sint *dies, seu tempora, quibus Jus non dicitur, i. e. à negotijs forensibus, & actibus Judicialibus*

cessatur, seu vacatur. Ita quoad rem omnes, & colligitur ex l. pridie 2. & l. seq. ff. h. tit. item l. omnes 7. C. eod. Effectus igitur feriarum est, ut actus Judiciales suspendat: & hinc, ut Wesenbec. ff. hic n. 2. Valens, n. 2. Wagnereck in Rubr. eod. not. 1. bene monent, Feriæ olim *Jusstitium* appellabantur, quòd Jus, sive Judicium tunc staret, nec progredereetur.

Quæritur 2. quotuplicis generis sint Feriæ? *n.* principaliter dividi solent in Solennes, seu Ordinarias, & in Extraordinarias, seu Repentinæ. Solennes sunt, quæ à Legibus, vel SS. Canonibus definitæ sunt, ita ut singulis annis recurrant, & æqualiter semper serventur: hinc etiam *State, & Anniversarie* nuncupantur. Ita Fagnan. in c. fin. h. tit. n. 35. & seqq. Wagn. in Rubr. not. 2. Pirh. hic n. 1. Schambog. n. 3. Wiest. n. 2. Extraordinariæ, seu *Repentinæ* dicuntur, quæ nulla certa, & stabili Lege, sed pro re nata, & occurrentibus circumstantijs extra consuetum ordinem, & morem, vel ob bonum publicum recens obtentum, v. g. ob Principis adventum, inaugurationem, nuptias, natam illi prolem, victoriam reportatam ab hoste &c. vel ob causam aliam repentinam, puta, luem publicam grassantem, seditionem, hostilitatem &c. indicuntur. Hiltrop. p. 2. tit. 36. n. 8. Wesenbec. ff. h. tit. n. 3. Fagn. l. cit. n. 8. & alij supra cit.

Ordinariæ Feriæ subdividuntur in Ferias Sacras, & Profanas. Sacræ dicuntur, quæ ad Dei cultum, & Sanctorum honorem sunt institutæ, ut sunt dies Festi, & Dominici *c. fin. h. tit. & l. omnes C. eod. Rosbach. prax. Civil. tit. 38. n. 3. Schamb. Wiest. alij*

alij l. cit. Profanae sunt, quae hominum gratia, ad eorum scilicet utilitatem sunt instituta: & tales sunt 1. Feriae nundinarum, quae ob publicum mercatum exercendum conceduntur l. un. C. de Nundinis. 2. Feriae messium, & vindemiarum, quarum mentio fit l. nequis 1. l. solet 3. & l. seq. ff. h. tit. Has vulgus Aestivae appellat; quia aestivis fervoribus mitigandis instituuntur. Gellius l. 9. noctium c. 15. & Rusticas; quia ut Ulpianus l. ne quis cit. monet, circa rem rusticam tunc occupantur homines. 3. Huc reduci etiam possunt Feriae nuptiarum, quibus diebus abstineri debet à nuptijs publice, & solenniter celebrandis. Ex his tribus Feriarum generibus sub Definitione num. praec. data continentur solae feriae messium, & vindemiarum; nam in Ferijs nundinarum, & nuptiarum, nisi aut cum sacris, aut cum rusticis coincident, actus Judiciales non prohibentur.

Dubitari potest de ferijs messium, & vindemiarum; an concedi debeant omnibus, etiam ijs, qui per se colligendis fructibus, & uvivis non dant operam: item an concedere eas oporteat etiam ibi, ubi frumentum, aut vinum non crescit? R. concedendas omnibus; quia licet ipsi huic labori non dent operam, faciunt tamen illud per colonos, & operas, ut bene Pirh. l. cit. In ijs locis, ubi vinum, aut frumentum non crescit, concedendum tempus est, ut aliunde illud advehi possit. Dicunt aliqui, loco Feriarum pro messe colligenda in ijs locis concedi Ferias posse pro colligendis castaneis.

Quaeritur 3. quinam sint Dies Feriati, in quibus Judicia celebrari non possint? R. sunt Dies Festi, quos Ecclesia festivos celebrat, & praeter hos septem illi dies, qui antecedunt Festum Resurrectionis Domini, & septem, qui subsequuntur: qui omnes enumerantur c. fin. h. tit.

Difficultas est, an praeter Dies Festos sibi relatos etiam alij Festi dies, qui hodie sunt sub praeepto, sint Judiciales, h. e. immunes à Judicijs? Rationem dubitandi facit Bulla Urbani VIII. incipit *universa*, edita Idib. Sept. 1642. ubi postquam Pontifex ultra dies in c. fin. cit. relatos alios addidit, & eos festivo celebrandos praecipit, subiunxit hanc clausulam: *Non intendimus tamen per hanc nostram Constitutionem dies feriatis circa Judicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinimus in ijs terminis, & statu, in quibus erant ante ejus promulgationem.* Atqui si Pontifex hac sua Constitutione nil immutare voluit, dies Festi, quos ibi agendos praecipit, manent in ordine ad Judicialia in antiquo suo statu, in quo prius erant; prius autem celebrari in ijs Judicia poterant. Ergo & nunc.

Sed hoc non obstante, respondendum est, indiscriminatim omnes dies Festos Ecclesiae Judiciales esse. Est certa om-

nium sententia. Rationem optimam dat Fagnan. l. cit. n. 25. quia repugnat, ut dies Festus sit sanctificandus ex praeepto Ecclesiae, & in illo exerceri possint strepitus Judiciales, cum ratio formalis sanctificationis Festi consistat in vacando rebus Divinis, & cessatione operum, inter quae opera etiam recententur actus Judiciales, utpote plurimum impediennes applicationem hominum ad Divina.

Ad Rationem dubitandi dico, textum Bullae responsioni huic non esse contrarium; nam ut Haun. tom. 5. tr. 3. n. 221. illum explicat, id solum intelligendum est de diebus feriatis non festis; adduntur enim in ea Bulla inter dies feriatis septem dies ante Festum Resurrectionis, & septem dies post illam, seu tempus illud, quod labitur à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, & qui, ut initio hujus num. dixi, jam ante per c. fin. cit. inter Feriatis recensentur: & circa hos ait Pontifex, quod in ordine ad Judicialia nihil velit innovare. Unde non obstante hoc Decreto, Privilegium Feriarum his diebus illatum manet; atque hinc sequitur, omnes quidem dies festos de praeepto feriatis esse, sed non vicissim omnes feriatis quoad Judicialia esse dies festos ex praeepto Ecclesiae.

Quaeritur 4. quis possit indicere Ferias? R. discrimen esse faciendum inter Ferias sacras, & profanas. De profanis certum est, eas institui posse à Principe, vel alio Magistratu superiore non recognoscente, qui proinde etiam praecipere subditis suis potest, ut eo die feriantur à laboribus, & operibus civilibus, vel actibus forensibus, imò & poenam addere transgressoribus. Ratio patet, quia Feriae istae tendunt ad finem merè politicum: unde sicut alia negotia merè Politica, ita & ipse Principis, vel Magistratus secularis potestati subjacent. Debet autem instituens hujusmodi ferias esse Princeps supremus, vel Magistratus Superiorem in temporalibus non recognoscens, ut expresse habetur l. à nullo 4. C. h. tit. & ratio est, quia Feriae ejusmodi conceduntur instar Legis, quam condere ad Principem supremum pertinet.

Unde quando l. praesides 3. ff. h. tit. & l. si in aliquam 7. princ. ff. de offic. Proconsul. dicitur, ad Praesides, & Proconsules spectare, ut secundum mores, & consuetudinem ferias dent, & statuant, illud in eo sensu exaudiri debet, quod Praesides, Proconsules, & similes Magistratus inferiores Ferias Messium, & Vindemiarum, antehac ab Imperatoribus quoad substantiam jam ordinatas, quoad tempus, & modum determinare debeant; cum enim ob diversam aëris, solisque temperiem alibi citius, alibi serius maturescant uvae, & fegetes, uniforme tempus pro universo Imperio ab Imp. non potuit statui, sed designatio haec singularum Provinciarum Recturibus relinqui debuit, prout cum Clariss. D. Woller rectè monet R. P. Schmier

de Judic. c. 5. n. 22. ubi cum eodem ab hac communi Regula excipit Principes, & Status Imperij Romano-Germanici, quos affirmant, unà cum Jure Territoriali ab Imperatore, & Imperio accepisse etiam potestatem Ferias profanas suis subditis præfigendi.

9 De Ferijs sacris inter Catholicos, & A Catholicos magna contentio est. Concedunt isti, & præcipuè Struv. *Synagm. Jurispr. Exercit. 5. th. 36.* Miller. ad *Pandect. b. tit. Stryck. Us. moder. Pandect. ibid. §. 3. §. seqq.* jus constituendi Ferias sacras ad Majestatem, & (in Imperio) ad Jurisdictionem Territorialem spectare, allegantes partim Instrumenta Pacis Religiosæ, & *Onabrug. art. 5. §. 30. §. 48.* Jus Sacrorum Superioritati Territoriali connectentia; partim exempla Legis Veteris, in quibus Regio edicto dies sacri sunt constituti *1. Reg. 8. v. 65. 1. Reg. 12. v. 32. 2. Paralip. 7. v. 8. Esdræ 8. v. 1.* Ex Catholicis potestatem istam Magistratui Ecclesiastico, & seculari communem faciunt Antonin. *p. 2. tit. 9. c. 7. §. 1. Sylvest. V. Dominica n. 2. Saa V. festum n. 1. Sayr. Clav. Reg. l. 7. c. 3. n. 17. §. quinta propositio.*

Moventur 1. quia *l. ut in die 2. l. omnes 7. & l. fin. C. b. tit. varij dies quot hebdomadis, vel annis recurrentes, ob honorem Dei, ac proinde ut ferias sacræ ab Imp. observari jubentur: & à Constantino Imp. ut ex Eusebio, & Sozomeno observat Baronius ad annum Christi 321.* Lege sancitum est, ut ob memoriam Passionis Dominicæ dies Veneris omnes à Judicijs, & alijs negotijs vacarent, Deumque precibus colerent. 2. Quia abstinere ab operibus servilibus, & negotijs forensibus non est aliquid ex se spirituale: ac proinde subditis præcipi à potestate seculari potest. 3. Quia ejusmodi Magistratus edere potest votum publicum de die alicujus Sancti, e. g. S. Sebastiani Mart. festivè celebranda. Ergo etiam condere potest Legem ad id obligantem. 4. Quia à Principe, & alijs Magistratibus secularibus statuto, vel lege decerni possunt poenæ violatoribus feriarum, etiam sacrarum, ut declaratum est à Pio V. *Constit. incipit, Cum primum S. 7. edita 6. Cal. April. 1566.*

10 Sed verius potestatem ferias sacras indicendi, nisi Pontificis Summi, aut Episcopi consensus accedat, communi cæterorum Catholicorum consensu negant Abb. in *c. 2. b. tit. n. 2. Armill. V. feria n. 2. Tabien. ibid. n. 1. Azor. p. 2. l. 1. c. 26. q. 5. Suar. tom. 1. de Relig. l. 2. c. 12. n. 12. Sanch. Conf. l. 5. c. 2. n. 7. Fagund. l. 1. de præc. Eccl. c. 5. Pal. tr. 9. D. um. p. 2. n. 8. §. 9. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 105. n. 38. Fagnan. in c. fin. h. tit. n. 33. Pignatell. tom. 1. consult. 8. n. 1. Wex Ariadn. q. 3. tab. 3. n. 4. Pirh. bic n. 11. Schamb. n. 7. Wiest. n. 6. & declaravit Innocentius X. *Constit. incipit, Cum super edita 6. Oct. 1657.* ubi irritum statuit Edictum Senatûs, & Gubernatoris Mediola-*

nenfis, Festum S. Dominici festivè celebrari præcipientis. Ratio est, quia potestas instituendi ferias sacras in honorem DEI, & Sanctorum est propriè spiritualis; spectat enim ad Religionem, & cultum Divinum. Igitur ad Pastores Ecclesiæ pertinet, nec Laicis competit, quos in spiritualibus necessitas manet obsequendi, non auctoritas imperandi, ut dicitur *c. Ecclesia S. Mariæ 10. de Constit. & c. fin. de reb. Eccl. alienand. Conf. 1.* idem est de tempore, quod de loco *l. vinum 22. ff. de reb. credit. sed consecratio, & dedicatio loci ad cultum Divinum spectat solum ad Præsules Ecclesiæ, non ad sæculi potestates can. nemo 9. de consecr. dist. 1. & §. res sacræ 8. junct. Gloss. V. Pontifex ibid. de rer. divis. ergo & consecratio temporis. Atqui indicio festivitatum in honorem DEI nihil est aliud, quam quædam consecratio, per quam dies aliqui efficiuntur sacri, & Divinis obsequijs dedicantur *can. placita 2. caus. 15. q. 4. ergo &c. Conf. 2.* Princeps Laicus non potest dies festos in honorem Dei institutos tollere, & subditos suos absolvere ab eorum observatione, ut omnes fatentur. Ergo nec potest novos dies festos in honorem DEI introducere, & subditos obligare ad istos servandos; quia par est jus ligandi, atque solvendi *can. verbum 51. de poenit. dist. 1.**

Proceditque hoc, ut in hujusmodi Ferijs à se constitutis Princeps secularis non tantum non possit subditos suos obligare ad audiendam Missam (hoc enim apertè transcendit potestatem sæcularem) sed neque ad cessationem ab operibus servilibus, & actibus Judicialibus intendendo finem Religionis, ut contra Sayr. *l. cit. & Molfes. Summ. Theol. p. 1. tr. 11. c. 27. n. 39.* cum Suar. Pal. & alijs supra relatis notat Haun. *tom. 5. tr. 3. n. 233.* & constat ex Bulla Innocentiana *cit.* Imò ne quidem Legem poenalem de hujusmodi festis observandis potest statuire, subditos suos obligando non quidem ad culpam, sed ad poenam duntaxat, si statuta ejusmodi Festa non servaverint; nam ejusmodi statutum nullum est ex defectu potestatis, utpote in materia Spiritualis. Sed ubi ex potestatis defectu statutum nullum est, etiam adjectio poenæ non valet. Ergo &c. Addidi intendendo finem Religionis; nam si intendat finem tantum politicum, sicut ejusmodi Ferias ob causam rectè potest instituere, ita etiam eas violantibus poenam dictare: & tunc nisi Lex merè poenalis sit, transgressor peccabit, non quidem contra Religionem, sed contra obedientiam, & observantiam Principi debitam, ut rectè notant Fagnan. *l. cit. n. 75.* Pirh. *n. 13.*

Neque obstant Argumenta contraria. Ad 1. per *ll. cit.* non introducuntur novæ ferias in honorem DEI, sed jam ab Ecclesia indicæ præcipiuntur observari: quod non effugit potestatem Catholicorum Principum

cipum. Lex Constantiniana ab Ecclesia nunquam recepta, imò nulla fuit ob defectum potestatis per tradita à Joan. Andr. in c. 4. de immun. Eccl. n. 14. Ant. de Butrio ibid. n. 10. Fagn. in c. 10. de constit. n. 17. Ad 2. licet abstinentia à laboribus, & opere servili ex se aliquid spirituale non sit, spirituale tamen efficitur, quando ex fine Legis ordinatur ad cultum Divinum, venerationem Beatorum Cœlitum &c. unde huc referri per Legem, præterquam ab Ecclesiastica potestate, non potest. Ad 3. ejusmodi Votum personale est, & vi promissionis ipsum duntaxat Magistratum voventem, ejusque promissioni liberè consentientes ligat: posteros autem, à quibus acceptum non est, nisi autoritas Ecclesiastici Prælati accedat, obligare non potest. Suar. l. cit. n. 4. Ad 4. id conforme est obligationi Magistratus sæcularis, cujus officium est in adiutorium Ecclesiæ Sacrarum Constitutionum præcepta tueri, & Decretis Sacr. Synod. Trid. quæ sess. 25. c. 20. de reform. ad hoc Principes sæculares gravissimis verbis hortatur.

13. Dubitatur, ad quem Magistratum Ecclesiasticum pertineat instituere Ferias Sacras? 1. universales, quæ totam Ecclesiam obligent, instituere potest solus Pontifex. Suar. c. 12. cit. n. 2. Pal. p. 2. cit. n. 1. Fagnan. in c. fin. h. tit. n. 17. Schamb. hic n. 5. Wiest. n. 4. Ratio est, quia solus Pontifex Jurisdictionem Spiritualem habet in universa Ecclesia, & populo Christiano. Particulares ferias, & quæ unam tantum Diocesim ligant, præcipere, & indicare potest Episcopus illius proprius can. pronuntiandum 1. dist. 3. de consecrat. c. fin. h. tit. & ibi Abb. n. 4. & 5. Fagnan. n. 27. & 28. Barbof. n. 23. Gonz. n. 18. Pirh. n. 10. Engl. n. 6. König. n. 6. Schamb. n. 5. Wiest. n. 4. Ratio est, quia in Diocesi sua id potest Episcopus, quod Pontifex Romanus in universa Ecclesia, exceptis ijs, quæ sibi Pontifex reservavit c. ad honorem 4. de authorit. & us. pall. c. novit 13. de Judic. atqui potestas indicendi festa non est reservata soli Pontifici, sed potius Episcopis expressè permiffa c. fin. cit. ibi: Quas singuli Episcopi in suis Diocesis cum Clero, & populo duxerint solemniter venerandas. Ergo potest Episcopus in sua Diocesi ferias sacras, & dies festos instituere.

14. Duo tamen circa hanc potestatem Episcopi sunt advertenda. Primum est, ut Sanctus, de quo Episcopus festum instituit, sit canonizatus; ipse enim neminem canonizare potest, sed solus Papa c. audivimus 1. de reliq. & venerat. Sanctior. Abb. l. cit. Pirh. n. 10. & alij supra. Potest tamen, ut Barbof. n. 24. hic cum iisdem advertit, Episcopus sacrare dies festos in honorem, & venerationem etiam eorum, qui Beatificati sunt tantum; nam & hi. Sanctorum nomine in ordine ad istum effectum veniunt. Secundum est, ut ejusmodi institutio fiat ab Episco-

po cum Clero, & populo, ut constat ex 6. fin. cit. & notat ibid. Abb. n. 5. Azor. c. 26. cit. q. 2. Suar. l. 2. cit. c. 11. n. 7. Dixi, cum Clero, & populo; aliter autem præsens institutioni debet esse Clerus, & aliter populus: cum Cleri consilio, & consensu institui ab Episcopo festum debet; populi consensus autem ad hoc non requiritur, sed præsens duntaxat institutioni esse debet in eum finem, ut possit Episcopo proponere causas v. g. multiplicatam festorum, & alias, ob quas festum non debeat institui. Suar. l. 2. de Legib. c. 11. §. in præfenti. Filliuc. tr. 27. c. 6. à n. 83. Barbof. in c. fin. cit. n. 24. Imò hodie receptum est, ut dies festi minime vocato populo, sola Episcopi autoritate cum Clericorum consensu, aut consilio, in Synodo præsertim, instituuntur, & populo indicantur, ut 4. cit. monent Az. q. 2. Suar. n. 9. Pal. n. 6. Unde defacto factis erit, si Episcopus volens festum instituere, ea observet, quæ Sacra Rituum Congregatio declarat, & decernit, laudante, & approbante Urbano VIII. & quæ præfixa sunt novis Breviarijs post ejusdem Urbani VIII. Bullam.

An per consuetudinem induci obligatio possit diem aliquem festum celebrandi, questio moveri potest: ad quam respondendum est, per solam consuetudinem Laicorum non posse, nisi includat consensum ejus, qui expressè potest diem festum instituere. Azor. c. 26. cit. q. 6. Suar. n. 5. Pirh. n. 12. Schambog. n. 8. Ratio est, quia institutio festi habet rationem Legis; vim Legis autem consuetudo non habet, nisi includat consensum saltem tacitum ejus, qui potest expressè Legem ejusmodi ferre.

Quæritur 5. quando incipiant Feriæ? 1. iterum cum distinctione inter ferias Sacras, & Profanas, inter Ordinarias, & Extraordinarias. Nam 1. Feria Sacra, seu Festa dies ex c. omnes 1. h. tit. incipit à vespera, & durat usque ad vesperam, non tantum quoad celebrationem Divinorum Officiorum, ut vult Gloss. ibid. V. omnes dies Dominicos, sed etiam quoad vacationem ab operibus servilibus, aliisque prohibitis, ut tradit Suar. de dieb. fest. l. 2. c. 31. n. 6. In Europa tamen, ut cum eodem Suarez, & communi DD. advertit Gonzal. in c. cit. n. 3. universalis consuetudo, & usus Ecclesiæ jam obtinuit, ut dies festi quoad vacationem ab operibus prohibitis feriantur à media nocte usque ad alterius noctis medium, quæ est integer dies naturalis 24. horarum. Estque hic mos magis rationalis, ut sic totus Dies Dominicus, vel Festus Religiosè observetur. Aliud tamen etiam consuetudine induci potest, quæ proin, cum Legum interpres sit optima, observanda ubique est, ut habetur c. quoniam 2. h. tit. & docet ibidem Barbof. n. 1.

2. Feriæ Messium l. ut in die 2. C. b. 17. ibi.

tit. conceduntur à die 8. Calend. Julij usque ad Calendas Augusti; Vindemiarum autem à die 10. Calend. Sept. usque ad Idus Octobris. Verùm cum in diversis Regionibus ut *n. 8.* monui, citius, aut ferius, pro diversitate Climatis, maturentur fruges, non unum his ferijs ubique gentium designari tempus potest: hinc videnda cujuslibet loci consuetudo. Feriæ Repentinæ tempus non habent, sed indicere eas Princeps potest, & durationem ijs præfigere pro suo arbitrio; nam sicut ex illius arbitrio pendet earum institutio, ita & duratio.

3. Feriæ Nuptiarum antiquo Jure *can. non oportet 10. caus. 33. q. 4.* amplius habebant tempus, quam novo; nam antiquitus Nuptiæ solennes prohibebantur à Dominica prima Adventus usque ad Epiphaniam, & à Septuagesima usque ad Octavam Paschæ inclusivè, & tribus hebdomadis ante festivitatem S. Joannis Baptista, intellige, non immediatè, sed mediatè, videlicet à Dominica Rogationum usque ad Festum SS. Trinitatis exclusivè, ut textum istum interpretatur Fagnan. *in c. 4. h. tit. n. 1.* De Jure novo tamen *Trid. sess. 24. c. 10. de reform. matr.* nuptiæ solenniter, & publicè celebrari solum prohibentur ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, & à feria 4. Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusivè. Ratio, quòd his temporibus prohibeantur nuptiæ, erat, quòd per ea tempora parare fideles debeant, & soleant ad celebranda Nativitatis, & Redemptionis humanæ Mysteria; solennitates autem nuptiarum, cum plerumque fiant cum strepitu, plurimum devotionem distrahant.

Dixi autem *publicè, & solenniter*; nam his temporibus matrimonium sine solennitate potest contrahi etiam in facie Ecclesiæ, i. e. coram Parocho, & testibus, ut *in c. 4. cit. docent Abb. n. 2. & 4. Barbof. n. 2. Fagnan. n. 2. & hoc teste decisum à S. Congr. Card. Trid. Interpp.* Patet ex *c. cit. ibi: Licet sit ea Romane Ecclesiæ consuetudo, ut quocumque tempore matrimonium contrahatur, consensu legitimo interveniente de presenti.* Solum igitur hic prohibentur solennitates. Tales autem sunt 1. Benedictio nuptiarum *can. aliter 1. caus. 30. q. 5.* 2. Convivia nuptialia *can. ne uxorem 11. ibi: Nec convivia facere caus. 33. q. 4.* 3. Traductio sponsæ in domum viri *can. uxorem cit. ibi: Nec uxorem ducere 1. e. ad domum, & solenniter*; privata enim, & non solennis traductio non est prohibita, ut contra Fagnan. *l. cit. n. 10.* advertit cum communi Pirh. *hic n. 4.* 4. Copula carnalis, seu consummatio Matrimonij, ut docent communiter Canonistæ, & respondit S. Congregatio Concilij apud Fagnan. *hic n. 11.* etsi contrarium teneat Navar. *Man. c. 22. n. 71. Sanch. l. 7. de Matr.*

D. 7. n. 23. & alij. Unde in praxi utraque sententia erit probabilis.

Quæritur 6. an, & quibus ferijs renuntiare partes possint? R. iterum distinguendo inter ferias. Nam 1. *Ferijs sacris* renuntiare partes non possunt, ut constat ex *c. fin. h. tit. ibi: consentientibus etiam partibus.*

Ratio est, quia solennitates sacræ sunt in honorem DEI, & boni publici intuitu constitutæ, cui consensus privatorum non debet posse præjudicare. 2. Idem dicendum de *Ferijs repentinis, & extraordinarijs*, quæ ob publicam causam, aut favorem principaliter instituuntur. Durand. *in specul. tit. de ferijs §. ult. Fagn. in c. fin. cit. n. 8. Laym. l. 4. tr. 6. c. 2. n. 7. Schamb. hic n. 26. &c.*

Ratio est, quia & istæ feriæ, postquam semel sunt constitutæ, publici Juris fiunt; cons. nec ipsæ pactis privatorum tolli possunt. 3. Possunt partes renuntiare *Ferijs rusticis*, videlicet Messium, & vindemiarum, & consentire, ut Judicium instituat

his ferijs *c. fin. cit. in fin. & colligitur ex ratione opposita*; nam feriæ istæ principaliter concessæ sunt in favorem litigantium, ut tunc possint incumbere ad colligendas fruges, & uvas *l. ne quis 1. ff. h. tit.* atqui favori pro se principaliter introducto quilibet renuntiare potest *c. ad Apostolicam 16. de Regular.* igitur etsi durantibus his ferijs in Jus venire nemo compelli possit *l. nequis cit.* si tamen partes velint, renuntiare huic privilegio feriarum possunt.

Porro circa hanc feriarum renuntiationem tria ulterius sunt advertenda. 1. Renuntiatio hæc fieri potest vel in Judicio, vel extra illud, e.g. in instrumento Contractus: item fieri potest expressè, vel tacitè, recipiendo videlicet terminum assignatum à Judice, qui est dies feriatum. Pirh. *hic n. 25.* 2. Sententiam, & acta Judicialia his ferijs celebrata tenere, si comparere partes ultro, & spontè voluerint; quia non amplius obstat tempus feriatum: contra invalida esse contra non comparentem, qui earundem privilegio non renuntiavit; quia eodem defendere se contra Judicem, & Adversarium potest. 3. Etsi partes renuntient pro se his ferijs rusticis, non tamen Judicem teneri his diebus Jus iisdem dicere, extra casum urgentis necessitatis. *Gloss. fin. in l. 7. C. b. tit. Sabell. Summ. §. feriæ n. 1. Pirh. n. 25. cit.* Idem dicendum de testibus; nam nec isti cogi possunt ad veniendum, & testimonium ferendum in his ferijs, ut cum iisdem advertit Abb. *in c. fin. cit. n. 12.* Ratio est; quia ferie istæ non solum in favorem litigantium, sed etiam Judicis, & testium institutæ sunt. Igitur partes pro se renuntiendo his ferijs non possunt hac sua renuntiatione alijs præjudicare; res enim inter alios acta alijs non præjudicat *arg. l. id quod nostrum 1. ff. de R. J.*

S. II.

De Actibus, qui in Ferijs Sacris præcipiuntur, vel prohibentur.

SUMMARIUM.

22. Præcepto observandi Ferias sacras prohibentur, 1. Opera servilia.
 23. Secundo Mercatus.
 24. Tertio Juramentum, etiam Extrajudiciale.
 25. Quarto Placitum.
 26. Quinto Cause Criminales.
 27. 28. 29. An eodem præcepto etiam prohibeatur Oblatio Libelli?
 30. 31. 32. 33. Citatio?
 34. 35. 36. Et hujus insinuatio?
 37. 38. An citatio fieri possit in die non feriato ad feriatum?
 39. Quid si dies à Judice fixa sit dies feriatu?
 40. Cujus loci ferie attendendæ sint, quando in his actoris, Rei, & Judicis Domicilia discrepant?
 41. 42. 43. An testes examinari possint die festo?
 44. An sententia ferri?
 45. Præsertim Excommunicationis?
 46. An executio ejusdem fieri?
 47. Reus incarcerari, torqueri?
 48. 49. 50. Appellatio interponi?
 51. 52. 53. Cause excusantes.

22. **P**ræceptum observandi Ferias sacras, legitime indictas, & inductas partim affirmativum, partim negativum est. Priori Christi fideles omnes Missam integram cum attentione audire tenentur, nisi eosdem excuset impotentia aut physica, aut moralis: de quo vide plura apud T.T. Posteriori prohibentur 1. Opera servilia c. licet 3. b. tit. ibi: in his ab omni opere servili cessandum. Excipitur, si causâ necessitatis tale opus suscipiatur; nam impedimentum, maxime si notorium sit, excusat. Si tamen non pro una tantum, vel altera vice, sed ordinariè, & frequenter talis causa occurreret, tutius, decens, atque consuetum est, ut dispensatio petatur à Superiore, ut docet Laym. l. 4. Theol. tr. 5. c. 4. n. 2. in fin. & colligitur ex c. licet cit. ubi etsi notoria fuerit causâ excusans, tamen petita est dispensatio à Pontifice. Porro Operum servilium nomine intelligunt DD. quæ ferè commoditati corporis, & inutilitatem ejusdem proximè, & immediatè cedunt, & quia ignobiliora sunt, per servos regulariter exercentur, ut sunt arare, fabricare, artefacta conficere &c. Liberalia contra, seu non servilia, quæ diebus festis non prohibentur, dicuntur maxime illa, quæ proximè, & immediatè referuntur ad instruendam mentem propriam, vel alienam, ut est legere, loqui, docere, scribere &c. Prioribus plerique DD. accensent etiam Venationem, ac proinde dicunt, etiam ipsam die festo prohibitam esse; addunt tamen, quoad illam huic legi defacto per consuetudinem derogatum esse, saltem si sine multis operis, & labore fiat. Suar. c. 28. à n. 3. Fagund. c. 11. n. 16. Pirh. h. c. n. 16. Idem existimant de piscatione in flumine moderata, & sine magno labore ministrantium in illa. In flumine, inquam; nam de piscatione in mari, ut advertit Pal. p. 5. n. 9. non est consuetudo, ac proinde, nisi specialis necessitas urgeat, die festo illicita est.

2. Mercatus c. omnes 1. h. tit. Nominè Mercatus autem hic veniunt contractus emptionum, venditionum, locationum, conductionum, & similibus, præsertim, si publica solennitate hæc fiant: item publicæ, & solennes nundinæ, quæ certis temporibus bis, vel semel in anno negotiationis causâ in certis locis instituuntur, sicut & illæ, quæ singulis hebdomadis certo quodam die fiunt. Suar. l. 2. c. 29. n. 2. Azor. p. 2. l. 1. c. 27. q. 10. Van Espen. J. E. U. p. 2. tit. 17. c. 4. n. 11. Pirh. h. c. n. 18. Schamb. n. 14. Wiest. n. 15. Ubi tamen tria hæc advertenda sunt. 1. Non prohiberi in diebus festis distractiones rerum minoris momenti, aut quæ ad victum quotidianum maxime necessariae sunt. Laym. l. 4. tr. 6. c. 2. n. 6. dicit. 8. 2. Etsi mercatus, contractus, emptio, aut venditio die festo fiat contra prohibitionem Juris, per hoc tamen non fieri invalidum; quia Lex prohibens mercatum illum non irritat. Pirh. n. 27. 3. Magna ex parte huic præcepto per consuetudinem contrariam, consentientibus, & conniventibus Præsidibus Ecclesiæ, derogatum esse; videmus enim passim, & sine scrupulo die festo conducti operarios, celebrari venditiones, & locationes privatas &c. tum in favorem emptoris, qui alio die adesse non potest, tum in gratiam vendentis, qui alio die non possit vendere ob defectum ementium. Præcipuè verò mos hic invaluit in nundinis die festo habendis: neque deficit justa causa talis permissionis, major sc. commoditas populi, præsertim rusticorum, & pauperum, qui non possunt diebus profectis operas suas deserere. Ita cum cæteris Laym. dicit. 8. cit. ubi tamen monet, hanc consuetudinem, quantum fieri potest, moderandam, saltem ut negotiationes, seu nundinationes non fiant ante rem Divinam. 3. Juramentum c. omnes cit. ibi: Nec 24 Sacramenta. Proceditque hoc non tantum de Juramento Judiciali; nam hoc suffi-

cienter jam continetur sub nomine *Placiti*, de quo *Num. seq.* sed etiam de Extrajudiciali, nisi excuset necessitas. Suar. c. 30. n. 17. Pal. p. 7. n. 3. Gonzal. in c. cit. n. 12. Barbof. *ibid.* n. 8. Vallenf. *hic n. 12.* Pirh. n. 20. Wiest. n. 16. & colligitur ex c. omnes cit. ibi: nisi pro pace, ubi Juramentum Pacis excipitur, quod Judiciale non est. Igitur reliqua Juramenta, etsi Judicialia non sint, nisi pariter & ipsa excepta sint, in Ferijs sacris prohibentur; nam exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

Accedit, quia verba c. cit. generalia sunt, nec aliam ponunt exceptionem, nisi duplicem hanc, *pro pace*, sc. *vel alia necessitate*. Igitur in qualibet alia causa, quacunque illa sit, sive spiritalis, sive temporalis, prohibetur Juramentum fieri in die Festo. Hoc tamen non ita intelligi velim, quasi nullum omnino Juramentum in die festo sit licitum, sed tantum de illis, quibus pacta, & conventiones inter aliquos publicè, & solemniter firmantur. Atque hinc pro Regula fervire potest, illa Juramenta in die festo prohibita esse, quæ adduntur contractibus, & negotijs prohibitis eo tempore: unde si aliquis contractus, vel negotium in die festo exerceatur licitè, ut est e. g. Inauguratio Doctorum, etiam Juramentum addi poterit, si quod ibi peti, vel edi solet; nam accessorium sequitur suum principale.

25 4. *Placitum c. omnes cit.* Venit autem hoc nomine, ut cum alijs Vall. *hic n. 12.* notat, tota causa Judicialis, & forensis tractatio: ut proin prohiberi in die festo *Placitum* sit idem, quod prohiberi Strepitus Judicialis. Suntque Acta Judicij sic facta invalida; quia Lex prohibens illa die festo irritat, ita, ut etiam consentientibus partibus, nec processus habitus, nec sententia teneat, ut dicitur c. *fin. h. tit. & l. ut in die 2. in fin. C. eod.* Proceditque hoc etiam in Arbitro, si sit verus Arbitrator; nam nec coram isto institui Judicium die festo potest, ut expressè habetur l. *omnes 7. in fin. C. h. tit.* Ratio est, quia verus Arbitrator, sive deinde sit à Judice petitus, sive à partibus spontè electus, procedere debet ad instar Judicis, servato ordine Judicij. Dixi, si sit verus Arbitrator; nam si Arbitrator sit, qui non est Judex, sed gerit tantum ut amicabilis compositor conciliando pacem inter partes, omni die dicere arbitrium potest; foedera enim, & similia pacta non sunt prohibita die festo. Similiter die festo non prohibentur actus Extrajudiciales: unde licitè potest Advocatus informare Judicem die festo. Et ratio est, quia, ut suprâ dictum est, c. *fin. cit.* solum prohibetur Strepitus Judicialis, sive ne formetur Processus, & feratur sententia die festo.

26 5. Et multo magis die festo prohibentur Causæ criminales, sive deinde agatur ad poenam mortis, sive ad aliam corporalem, aut etiam pecuniariam c. *omnes cit.* ibi: *Neque aliquis ad mortem, vel ad poenam judicetur*: quod

etsi procedat de omnibus actibus Judicialibus, maximè tamen procedit de poena sanguinis. Atque hinc sequitur, sententiam, quæ super hujusmodi causis die feriato pronuntiat à Judice, non tantum illicitam, sed etiam irritam esse, ut clarè habet c. *fin. cit. in fin.* Excipitur, nisi hoc fiat ex causis infrâ referendis *num. 51.* Hæc satis certa: sequentia magis controversa. Igitur

Quæritur 1. an Libellus die festo offerri Judici possit? *Ratio dubitandi est 1.* Quia die festo conquiescere debent omnia acta Judicij, ut patet ex textibus *citt.* atqui inter ista c. *quoniam 11. de probat.* numerantur etiam *Petitiones*, quæ utique per Libellum fiunt. Ergo &c. 2. Libellus c. *un. de lit. contest.* dicitur *Petitio in Jure proposita.* Atqui Jus die feriato non redditur. 3. l. *omnes 7. & l. fin. princ. & S. Dominicum 1. C. h. tit.* prohibetur omnis exactio publicorum, & privatorum debitorum, & statuitur, ut *nulla quemquam urgeat admonitio.* Hoc autem fit per oblationem Libelli, quo actor à Reo suum exigit, & urget debitum. 4. Die feriato idem Libellus à Judice non potest offerri parti, ut communis DD. habet. Ergo nec ab Actore Judici. 5. Judicium latè acceptum jam incipit ab oblatione Libelli. Ergo cum die feriato prohibeantur omnia Acta Judicialia, etiam ipsa erit prohibita.

Sed dicendum, probabilius Libellum die festo posse offerri Judici. Ita contra Abb. in c. *fin. de Judic. n. 17.* & nonnullos alios sentit Gloss. *fin. ibid.* Durand. *specul. tit. de ferijs §. 2. n. 2.* Bartol. in l. *miles 11. v. sexaginta ff. ad leg. Jul. de adult. Tufch. v. feria. Concl. 100. n. 10.* Pal. *tr. 9. D. un. p. 7. n. 9.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. c. 13. n. 21.* Pirh. *hic n. 27.* Schambog. *n. 29.* Wiest. *n. 24.* Ratio est, quia oblatio hæc non promanat à Judice, nec autoritate ejusdem fit, sed sola voluntate actoris: unde quia Judicis auctoritatem non imbibit, actus verè Judicialis non est; cons. die festo permissus, cum nupiam reperiatur prohibitus. *Conf.* ex communi sententia, quam etiam tenent Azor. l. 1. c. 27. q. 11. Fill. *tr. 27. c. 10. n. 183.* Barbof. in c. 1. h. tit. n. 6. die festo licet advocatum consulere, cum procuratore de lite privatim agere, apud Judicem totam causam referre, ut eâ cognitâ, sententiam postea commodius ferat; imò etiam Inquisitio, quam Judex ex officio facit, antequam reum suspectum citer, capiat, & incarceret, die festo fieri non prohibetur: quorum omnium ratio est, quia sunt tantum preparatoria Judicij, & licet talis Inquisitio sit actus Jurisdictionis, non tamen Judicialis, qui nullus ante citationem datur. Atqui inter preparatoria Judicij etiam est Libelli oblatio facta Judici. Ergo &c.

Neque obstant Argumenta contraria. Ad 1. die festo conquiescere solum illa Judicij acta debent, quæ imbibunt au-
T 3
tho-

thoritatem Judicis, & verè talia sunt, non tantum preparatoria ad illud.

Ad 2. Libellus *c. cit.* dicitur petitio in Jure proposita, quia proponitur, & offertur Judici. *Ad 3. II. cit.* illas tantum exactiones, & admonitiones prohibent, quæ fiunt in Judicio; Petitio, quæ per Libelli oblationem fit, fit ante Judicium, utpote quod, uti dictum est, solum à citatione incipit.

Ad 4. disparitas est, quia oblatio Libelli à Judice facta parti præsupponit, aut saltem comitatur citationem, à cujus commissione inchoatur Judicium latius acceptum; contra oblatio ejusdem ab Actore facta Judici citationem antecedit: unde illa actus Judicialis erit, non ista. *Ad 5.* si Judicij nomen accipiatur tam amplè, ut includat etiam Judicij preparatoria, includet oblationem Libelli: non tamen propterea hæc prohibebitur fieri die festo; quia, ut supra dictum, eo tempore solum prohibentur actus, qui imbibunt auctoritatem Judicis.

30 Quæritur 2. an Citatio fieri possit die festo? *Certum est*, fieri posse in causis, quæ diebus festis expediri de Jure possunt. In alijs controvertunt DD. Aliqui cum Pal. *tr. 9. D. un. p. 3. n. 1.* irritam pronuntiant absolute, si facta sit die feriato, ad quemcumque diem fiat. Alij melius distinguunt inter tres actus, videlicet 1. Mandatum, seu commissionem Judicis de reo ad Judicium vocando. 2. Hujus mandati executionem, sive citationis insinuationem reo factam. 3. Istius vi factam processus inchoationem. *Postremam* irritam esse omnes facile concedunt, quòd Judicis cognitionem, & Judicalem strepitum involvat, sitque actus Judicialis clarè prohibitus *c. fin. h. tit. & l. fin. C. eod.* verbis, *sit ille dies à cognitionibus alienus &c.* De cæteris duobus actibus procedit quæstio: & hinc

31 Dub. 1. an die feriato decerni à Judice possit mandatum de reo citando? Omnes facile concedunt eam commissionem, seu mandatum hoc die fieri non posse à Judice sedente pro Tribunali; quia est verus actus Judicialis, & speciem sententiæ interlocutoriae præfert. *Difficultas* est, cum decernitur mandatum hoc à Judice, pro Tribunali non sedente? Quo in dubio affirmativam tenent Joan. Andr. *in c. fin. h. tit. n. 3.* Bellamer. *ibid. n. 10.* Fagn. *n. 49. & seqq.* Hiltrop. *p. 2. tit. 36. n. 13.* Gaill. *l. 1. obs. 53. n. 3.* Vall. *hic n. 13.* König. *n. 11.* Reiffenstuel *n. 51.* & plures alij apud istos. *Fundantur;* quia mandatum istud, si à Judice pro Tribunali sedente, & Judicialiter procedente non emanet, Judicalem causæ cognitionem non requirit, adeoque non est actus Judicialis, sed extrajudicialis, nec per se actus contentiosæ, sed voluntariæ potius Jurisdictionis. *Conf.* non minus prohibetur Judex in loco inhabili exercere Jurisdictionem suam, ac prohibetur eam exercere in tempore inhabili. Sed in loco inhabili, & extra territorium existens,

non obstante, quòd ipse ibi exercere Jurisdictionem suam non possit, potest tamen ibi existens illam committere, & delegare alteri exercendam in Territorio suo. Igitur à pari, non obstante, quòd Jurisdictionem suam die feriato exercere nequeat, poterit tamen eam committere, & delegare alteri exercendam in die non feriato, & hoc quidem ad totam causam. Si verò ad totam causam; igitur etiam ad actum citationis; nam quòd Juris est de toto, est etiam de parte *l. que de tota 56. ff. de R. V.*

Sed his non obstantibus, spectato **32** Ju- re, & ratione, videtur verior negativa, quam etiam tenent Abb. *in c. fin. h. tit. n. 20.* Marant. *p. 6. tit. de citat. n. 119.* Suar. *tom. 1. de relig. l. 2. c. 30. n. 4.* Gonz. *in c. fin. cit. n. 7.* Brunnen. *in l. ult. C. h. tit. Zes. hic n. 13.* Pirh. *n. 28.* & novissimè Clariss. P. Schmier *de Judic. c. 5. n. 38.* Estque communior antiquorum. Colligitur ex *l. fin. cit.* ibi: *sit ille dies à cognitionibus alienus*: non esset autem alienus à cognitionibus, si decerni mandatum de citando posset à Judice; nam ad decernendum mandatum istud opus est causæ cognitione, non quidem inter partes, sed apud se, & intra se, ut statuere terminum Judex possit, quo comparere citatus debeat. *Neque obest*, quòd decretum hoc, seu mandatum non fiat à Judice sedente pro Tribunali; nam etsi actus Judicialis sit ille, qui fit à Judice sedente pro Tribunali, tamen alij etiam actus Judiciales esse possunt, qui non fiunt à Judice pro Tribunali sedente: patet ex doctrina Fagnani, qui etsi in controversia ista Adversarius, *num. 56.* tamen fatetur citationem realem actum Judicalem esse, etsi non fiat à Judice sedente pro Tribunali. *Proceditque* hoc, etsi tale mandatum die festo fieret ad diem non feriatum; nam adhuc talis citatio foret invalida, ut DD. *citt.* monent: & ratio est: quia citatio die feriato prohibetur non tantum ratione effectus, sed etiam ratione sui. *Ex quo solvitur*, quòd objeci posset, sc. quando effectus est licitus, etiam licitam esse appositionem causæ; quia hæc videtur referri ad tempus, quo imperatur effectus. Respondetur enim, quòd principium istud procedat tantum, quando aliquid prohibetur solum ratione effectus, qui certo tempore illicitus est. Addidi autem, *spectato Jure, & ratione*; nam ut Haun. *tom. 5. tr. 3. n. 228.* cum alijs notat, contrarium obtinet de consuetudine, quæ proin, ubi viget, est observanda.

Argumentum Adversariorum non ur- **33** get; nam, ut dixi, mandatum citationis requirit aliquam causæ cognitionem, quæ etiam pro Tribunali non fiat à Judice, aut inter partes, verè tamen adhuc Judicialis est. *Ad Conf.* aliud est delegare alicui potestatem citandi, aliud actu citare: delegari potestas citandi etiam die feriato potest; quia actus Juris-

Jurisdictionis contentiosa non est: citare verò die festo Judex non potest. Consistit autem citatio maximè in Decreto Judicis de citando, à quo omnem vim suam executio citationis habet, quæ proin executio secundum multos DD. non est actus Judicialis. Ergo cum citatio actus Judicialis sit, etiam mandatum de citando talis erit, & conf. non extra territorium proprium, nec die feriato fieri potest.

34 Dub. 2. an Executio citationis fieri possit in die feriato? Triplex hic sententia DD. est. *Prima* cum Abb. in c. fin. h. tit. n. 20. Suar. c. 30. cit. n. 5. Pal. tr. 9. D. un. p. 7. n. 1. Fagn. in c. cit. n. 53. Zoesl. hic n. 14. Reiffentuel n. 54. Clariss. P. Schmier de Judic. c. 5. n. 40. & alij apud istos negat, executionem hanc fieri die feriato posse, & pro hac sua sententia adducunt Decisionem Rotæ 365. n. 7. p. 3. Colligi videtur ex l. fin. C. b. tit. ibi: *Præconis horrida vox sileat*; nam vox ista præconis aliud nihil denotat, quam infuinationem, vel denuntiationem citationis factam per nuntium Judicalem. *Rationem* dant, quia ejusmodi Citationis executio non minùs turbat citatum, & à devotione abstrahit, ac alij actus Judiciales. Igitur non minùs, ac ceteri, censeri debet prohibita in die festo.

Alteram, & affirmativam defendunt 35 Hiltrop. p. 2. tit. 36. n. 14. Gaill. l. 1. obs. 53. n. 7. Vaient. hic n. 13. Pirh. n. 29. Engl. n. 4. Schambog. n. 29. König n. 12. & apud hos Joan. Andr. Bellamera, & alij: ex quibus testatur Gaillius, sententia huic favere Decisionem Rotæ, & addit Bellamera, ita suo tempore communiter servatum fuisse in Curia Romana, ubi Auditores Palatii citant per Cursores in quibuscunque Festivitatibus, quantumcunque magnis, videlicet ad dies non feriatos: Adjungit idem Bellamera, idem servare etiam extra Curiam Romanam communiter Apparitores omnium aliarum Curiarum. Nec deest ratio; quia hujusmodi Executio non videtur esse actus Judicialis, cum non fiat à Judice, sed à Nuntio, vel per litteras, nec ullam causam cognitionem requirat, sed nudum factum, seu ministerium contineat. *Conf.* quia executio citationis fieri potest in Ecclesia, ut patet ex c. cum parati 19. de appellat. non potest autem in Ecclesia fieri, si esset actus propriè Judicialis. Ergo &c.

Tertia cum P. Wiest, hic n. 27. & alij 36 distinguit inter eam citationem, quæ fit per manus injectionem, vel publicam proclamationem, & inter eam, quæ insinuat per nuntium, vel per litteras: & prioris quidem executionem ob verba l. fin. cit. si die feriato fiat, invalidam esse non difficulter concedunt; posterioris autem validam esse autumant ob rationes secundæ sententiæ. Hanc sententiam, præscindendo à contraria consuetudine, veram esse existimo. *Præscin-*

dendo, inquam, à contraria consuetudine; in praxi enim judicio sequendum consilium P. Haunoldi, qui tom. 5. de J. & J. tr. 3. n. 228. vult controversiam istam denique pendere à consuetudine locorum, & Tribunalium. Neque contrarium evincunt Argumenta primæ Sententiæ. Ad verba l. fin. cit. patet ex modò dictis; dici enim potest ea loqui de Citationem, quæ fit per publicam Proclamationem; nam secretò insinuata citatio non est ita horrida. *Argumentum ex ratione sumptum* nimium probat; probat enim, quòd non valeret citatio, si etiam vespere pridie diei feriatæ fieret; nam adhuc inquietudo propior parte refunderetur in diem feriatum. Solum ergo prohibiti esse censendi sunt ij actus, ex quibus non quomodocunque inquietudo sequitur, sed qui ex natura sua avocant à cultu Divino secum impossibili in ea perfectione, quam intendit Ecclesia, & quæ proinde Judici, tanquam causæ principali, imputaretur. Talis autem in casu nostro non videtur esse executio citationis per nuntium, aut per litteras; tam parum enim imputari Judici turbatio inde orta potest, quam parum imputari eidem potest, si reus citatione facta ex animi perturbatione se suspenderet; quia utrumque solum per accidens sequitur.

Dub. 3. an citatio fieri possit in die non feriato ad diem feriatum? Tres sunt 37 ad dubium istud sententiæ. *Prima* indistinctè asserit validam esse hujusmodi citationem. Tribuitur Innocentio in c. fin. h. tit. & alij quibusdam, juxta quos licet sic citatus non debeat comparere in die feriato, tenebitur tamen vi talis citationis comparere in die sequenti. *Rationem* dant, quia tunc mandatum Judicis duo præcepta continet, unum, ut citatus compareat, alterum, ut die feriato compareat. Cum igitur utile per inutile vitari non debeat, citatus comparere debet saltem die sequenti. *Secunda* distinctè asserit, talem Citationem non valere. Ita Marant. tit. de citat. n. 120. Fagnan. in c. fin. h. tit. n. 38. & alij: habetque hæc sententia teste Haun. tom. 5. tr. 3. n. 225. tantam probabilitatem, ut si citatus non compareat, non debeat condemnari tanquam contumax. Utitur Fagnanus pro hac sua sententia argumento proliis opposito; putat enim præceptum hoc Judicis indivisibile esse, quòd proinde non potest valere pro parte, & pro parte non valere. *Tertia* cum

Abb. in c. fin. cit. n. 21. Azor. p. 2. l. 1. c. 27. q. 16. Suar. tom. 1. de relig. l. 2. c. 30. n. 3. Pal. D. un. p. 3. n. 2. § 3. Gaill. l. 1. obs. 53. n. 2. Perez. C. b. tit. n. 9. Haun. tr. 3. cit. n. 224. Zoesl. hic n. 15. § 16. Pirh. n. 30. König n. 13. Schamb. n. 30. Wiest, n. 28. distinguit inter 38
1. Citatio fieri potest ad diem festum
expressè, ut Judex dicat e.g. Die Dominica hora
3. ma-

1. *matutinâ compareat reus in Judicio* : & tunc certum est mandatum tale illicitum, nullum, & injustum esse. Ratio est, quia ex Jure habetur, ut ex hæcenus dictis constat, quòd diebus feriatis omnis strepitus Judicialis debeat conquirere, & tacere omnis apparitio; igitur illicitè, nulliter, & injustè mandatur ejusmodi apparitio. Et hoc ita verum est, ut neque die altero comparere teneatur citatus sine nova citatione; nam actus, qui ipso Jure nullus est, nullum operatur effectum.

2. Fieri Citatio potest sine expressione diei festi ad certum diem mensis, vel hebdomadæ, ut e. g. citatus compareat ad diem 15. Maij, in quem hoc anno 1712. incidit Festum Pentecostes: quo casu valet citatio, & citatus die proximo non feriato in Judicio se debet sistere. Ratio est, quia eo casu Judex censetur tantum velle, ut citatus usque ad terminum, seu finem illius diei adsit, ut altero die manè respondere in Judicio possit *arg. c. cum dilecti 6. de dol. & contum.* Vel dici potest, quòd quando Judex in citatione diem feriatum non expressit specificè, ex intentione Judicis subintelligatur clausula, ut si dies designatus sit feriatum, citatus compareat die proximo non feriato. Et hinc monent DD. cautelam esse pro Judice, ut clausula prædicta expressè addatur in Citatorio: & ratio est, quia cum tempus citationis currere primùm incipiat à die intimatæ citationis, Judex scire non potest, quo tempore sit intimanda, tum ob locorum distantiam, tum ob nuntiorum in exequendo tarditatem.

3. Citatio fieri potest, ut in ea assignetur terminus, intra quem apparere oporteat eum, qui est citatus e. g. intra 20. dies: & eo casu si ultima dies sit festum, aut dies Dominica, adhuc valida est citatio, & citatus de rigore Juris, ut Pal. l. cit. notat, comparere debet ante diem signatam aliquà ex diebus intermedijs; hoc ipso enim, quòd Judex eo casu non signaverit diem, signum est, quòd diem illum, qui festus est, & quo tempus citationis clauditur, voluerit habere pro termino finitæ dilationis. Putant tamen Suar. & Fagund. eo casu satisfacturum citatum, si comparitionem differat in diem sequentem, & pro hoc allegant usum, & Stylum Judicum: qui, si alicubi est, observari poterit.

39 Dub. 4. quo die comparere debeat, qui citatus est in diem non feriatum, sed impedimentum intervenit, ne comparere tempore statuto possit? R. tunc urgere citationem pro die sequente non impedito: & ratio est, quia per impedimentum subsequens citatio non omnino tollitur, sed suspenditur. Et hinc magna est disparitas inter citationem, quæ expressum Juris errorem continet, uti continet, quæ expressè fit ad diem feriatum, & inter citationem, in qua ob subsequens impedimentum non prævisum non potest comparere citatus; nam

prima sensum absolutum habet, secunda conditionatum, nempe *Si non es impeditus*: unde si impedimentum non prævisum occurrat, per hoc firmatur alterum membrum disjunctionis subintellectum, scilicet, *Si sis impeditus, venias die proximo non impedito.*

Dub. 5. *cujus loci feriatæ attendenda* 40 sint, quando in ijs actoris, Rei, & Judicis domicilia discrepant? R. attendenda sunt feriatæ loci, ubi fit actus, de cujus valore agitur; nam ubi fit actus, illius loci regulas sequitur. *Atque hinc sequitur* 1. si in eo loco, ubi fit intimatio citationis, sit festum, & consuetudo loci habeat, ut festo die intimatio citationis fieri non possit, actum intimationis die illo factum fore invalidum. Pal. tr. 9. D. un. p. 7. n. 4. & apud hunc Bonac. D. 5. de 3. præc. Decal. q. un. p. 2. n. 20. *Sequitur* 2. si dies, quo Judex decernit, & nuntio committit intimationem citationis, non sit feriatum in loco Judicis, valituram commissionem istam, etsi dies ille sit feriatum in loco citari; contra non valituram, si fiat die feriato in loco Judicis, etsi in loco Rei dies ille non ferietur. *Sequitur* 3. idem dicendum de cæteris actibus Judicialibus; nam in his non consuetudo loci, ubi alias partes habitant, sed fori, seu loci, in quo exercentur, spectari debet; alias fieri posset, ut actor, vel Reus duplices haberent ferias, videlicet loci Judicis, & Regionis suæ, & sic nimia fieret Judiciorum dilatio.

Quæritur 3. an testes examinari possint 41 in die festo? Sub examinatione testium duæ actiones includuntur. *Prima* est interpositio Juramenti: de qua nemini potest dubium esse nec licitam, nec validam esse, si fiat die festo, ut ex c. omnes 1. h. tit. n. 24. retuli; prohibetur enim omne Juramentum, præsertim Judiciale.

Secunda actio est testium depositio: hanc, si Juramentum testibus remissum, aut die præcedente non feriato ab ipsis præstitum sit, licitè, & validè die festo recipi, existimant Durand. *Specul. tit. de ferijs §. 2. n. 6.* Azor. p. 2. l. 1. c. 27. q. 14. Marant. p. 6. tit. actorum editio n. 40. Gonzal. in c. fin. h. tit. n. 27. König h. n. 14. Consentit ex parte Abb. in c. 1. h. tit. n. 9. ubi tamen existimet, depositionem testium illicitè fieri die festo, quia à Divinis abstrahit, putat tamen, si fiat, validè fieri. *Fundantur* 1. quia examinatio, & depositio testium, ut à Juramento distinguitur, non videtur esse actus Judicialis; quia per quemlibet à Judice deputatum, etiam in loco privato, fieri potest. 2. Etiam si Judicialis esset, tamen facta die festo fictione Juris retrahitur ad diem non feriatum præcedentem, in quo eis delatum est Juramentum; est enim depositio accessoria Juramento.

Sed dicendum, spectato Jure communi, probabilius depositionem testium die feriato admitti non posse. Ita Ant. de Butrio

in c. 1. h. tit. Vivian. *ibid.* in Ration. Suar. l. 2. de fest. c. 30. n. 16. Fagund. l. 1. de prec. Eccl. c. 13. n. 16. Bonac. de 3. prec. Decal. D. 5. q. un. p. 2. n. 21. Pal. tr. 9. D. un. p. 7. n. 6. Van Espen. f. E. U. p. 2. tit. 7. c. 4. n. 8. Vall. hic n. 14. Zopf. n. 13. Pirh. n. 23. Sannig c. 2. n. 5. Schambog. n. 32. Wiest. n. 31. & novillimè Rev. P. Schmier tr. de Judic. c. 5. n. 46. *§* seqq.

Excipitur, nisi periculum sit in mora, e. g. quia valerudinarij sunt, aut senes, vel quia diu absuturi &c. tunc enim die festo examinari possunt, etiam exacto Juramento, ut bene notat Durand. l. cit. Ratio responsionis est 1. Quia per hanc depositionem testium firmatur Processus, & continuatur. At in c. fin. h. tit. Pontifex vult litem omnino quiescere, & processum habitum non tenere. Igitur talis depositio erit omnino illicita, nulla, & invalida. 2. Non examinantur testes, nisi renouent Juramentum antè factum, & sub illius obligatione. Igitur idem est, acsi illud de præsentì præstarent. 3. Testes in die festo cogi non possunt ad respondendum, & testimonium dicendum, ut colligitur ex l. fin. C. h. tit. ibi: *Nulla quemquam urgeat admonitio*, & fatetur Abbas ipsemet l. cit. Ergo eo casu non interrogantur Juridicè à Judge, sive Judex tali die jus interrogandi non habet; aliàs si Juridicè interrogarentur, actus Judicialis esset, quod Adversarij negant.

43 Neque obstant Argumenta pro Adversariorum sententia supra allata. Ad 1. enim negari non potest, quòd depositio testium sit actus Judicialis; nam etsi causæ cognitionem non requirat, & propterea non sit strictè dictus actus Judicialis, est tamen actus Judicialis latè loquendo; quia fundatur in Jurisdictione Judicis, cum non nisi à Judiciali potestate procedere debeat, & præterea plurimum intervrit ad Judicium Processum, & sententiam. Neque obstat, quòd depositio testium audiri possit per quemlibet deputatum à Judge; nam etiam Juramentum eorum sic potest excipi, qui tamen manet actus Judicialis: sufficit igitur, quòd nomine Judicis, & autoritate ab illo accepta recipiatur. Ad 2. retrotractio illa examinis, & depositionis testium videtur omnino ficta sine sufficienti fundamento; nec in Jure fundata; quia potius per illum actum confirmatur, & ut supra dixi, quasi repetitur Juramentum testium priùs præstitum: & hinc ejusmodi fictio admittenda non est, præsertim cum multum deroget observationi Festi. Quod additur ex Abbate, ejusmodi depositionem illicitam quidem esse, non tamen invalidam, sine fundamento dicitur; nam si illicita est, illicita est ideo, quia est actus Judicialis, & pertinet ad Judicij strepitum. Sed hoc modo etiam invalida est; nam Lex Canonica, ut ex c. fin. h. tit. patet, omnem actum Judiciali-

lem, quem prohibet, etiam facit irritum, & nullum.

Quæritur 4. an sententia in die feriato à Judge ferri possit? *¶* si sententia requirit cognitionem causæ, & Judicalem strepitum, die feriato fieri non potest: estque hoc verum non solum de sententia in causa criminali, sed etiam in civili, nec tantum in causa temporali, sed etiam in spiritali: nam textus c. fin. h. tit. universaliter loquitur, Secus dicendum de sententia, quæ fit sine Judiciali strepitu, & causæ cognitionem præviam requirit nullam; hæc enim per dicti c. fin. textum nec prohibetur, nec irritatur. Eadem est ratio de Actibus Jurisdictionis voluntariæ omnibus, quales sunt emancipare, & manumittere, dispensare, absolvere, indulgentias, & privilegia concedere, contractus approbare, instrumenta conficere, & consignare, adoptare, pupillo tutorem designare, veniam ætatis dare, Magistratum creare, & alia similia, quæ enumerantur l. eadem 2. ff. h. tit. nam isti, & similes actus omnes, qui de plano sine causæ cognitione, saltem Judiciali, exercentur, licitè, & validè fieri die festo possunt, ut cum communi docent Hiltrop. p. 2. tit. 36. n. 12. Wesenbec. ff. h. tit. n. 5. Brunnem. in l. 2. C. eod. n. 1. *§* seqq. Haun. tom. 5. tr. 3. n. 214. Ratio est, quia ea, quæ sunt voluntariæ Jurisdictionis, ad strepitum Judicalem, seu Judicium contentiosum non pertinet: ideoque in c. fin. cit. non prohibentur. Addidi autem, qui de plano, & sine causæ cognitione, saltem Judiciali, exercentur; nam alij actus mixti, qui solennem causæ cognitionem desiderant, qualis est bonorum possessio Decretalis, arrogatio impuberum, unio prolium &c. tantum Juridico die expediri possunt, ut bene notat König hic n. 10. & colligitur ex l. fin. C. h. tit. ibi: *sit ille dies à cognitionibus alienus*. Ratio est, quia tales actus mixti assumunt naturam actuum Jurisdictionis contentiosæ ob intervenientem causæ cognitionem.

Difficultas moveri potest circa sententiam Excommunicationis, suspensionis, interdicti, an hæc ferri possit in die festo? Negat ferri posse Ant. de Butr. in c. fin. cit. motu textu l. fin. C. eod. ubi mandatur, ut omnis vox Judicis fileat; non fileat autem, cum fertur sententia supradictarum Censurarum, Ergo &c. Sed retinenda est affirmativa sententia, quam etiam cum communi defendunt Suar. l. 2. de fest. c. 30. n. 9. Azor. p. 2. l. 1. c. 23. q. 13. Laym. l. 4. tr. 6. c. 1. n. 8. Pal. tr. 9. D. un. p. 7. n. 11. Pirh. hic n. 22. Schambog. n. 22. Wiest. n. 32. Ratio est, quia Censuram ferre adversus contumacem non tam est procedere, & judicare, quàm veluti Legem ferre, aut præceptum imponere, præsertim cum Excommunicatio sit poena medicinalis, & ad bonum animæ ordinetur. Ad textum in contrarium allegatum dico,

U

dum

dum ibi mandatur, ut omnis vox Judicis fileat, intelligendum de voce, quæ propriè est Judicis judicantis, & strepitum Judicalem expostulat.

46 Quæritur 5. an executio sententiæ Judicialis fieri possit in die festo? Affirmat Abb. in c. fin. h. tit. n. 13. & c. fin. de Judic. n. 22. cui consentiunt alij apud Tusch. V. ferie concl. 100. n. 6. Rationem dant, quia non est actus Judicialis, siquidem prolatâ sententiâ, Judex jam functus est suo officio, & quæ postea sequuntur, non tam ad Judicem, quam ad ejus Ministros pertinent.

Sed melius Felin. in c. fin. de Judic. n. 13. Suar. l. 2. c. 30. n. 11. Fagund. l. 1. c. 13. n. 23. Pal. tr. 9. D. un. p. 7. n. 12. Van Espen. J. E. U. p. 2. tit. 17. c. 4. n. 7. Wagner. in c. fin. cit. not. 2. Pirh. hic n. 33. Schambog. n. 32. Wiest. n. 37. pronuntiant ejusmodi executionem die festo factam non solum illicitam, sed etiam invalidam esse, ac propterea, si fieri id potest, revocandam. Sumitur ex l. fin. C. h. tit. ibi: *Ut à cunctis executionibus excusetur.* Ratio est, quia etsi executio non sit actus propriè Judicialis, pertinet tamen ad complementum Processus Judicialis, & sine magno strepitu expediri non potest, præsertim si sit in causa criminali, ubi plerumque major populi distractio, & perturbatio oriri solet, quam ex ullo alio actu.

47 Ex eadem ratione, quâ executio, prohibetur etiam, ne capiatur, vel incarcerationetur reus in die festo, ut ex communi docet Farin. prax. crim. l. 1. q. 27. n. 106. Zoes hic n. 20. Pirh. n. 33. & colligitur ex l. fin. C. h. tit. Estque perinde, sive sit debitum Civile, sive Crimen, ob quod incarcerationem decrevit Judex. Excipitur solum, si periculum sit in mora e. g. quia timetur, ne reus se fugâ subducatur. Multo minus extra casus infra excipiendos licet die festo maleficos tormentis subijcere, prout patet ex c. omnes 1. h. tit. ubi habetur, ne die festo aliquis ad mortem, vel ad penam judicetur: unde si commodè possit, in alium diem differri tortura debet. Neque obstat l. Provinciarum 10. C. h. tit. ubi Imperatores, Provinciarum Præsides, inquit, moneantur, ut in questionibus latronum --- nec venerabilem Pasche diem existiment excipiendum, ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, que per latronum tormenta querenda est; nam ut verba ultima clarè indicant, Lex ista solum procedit, cum periculum est in mora: & etsi sensum absolutum haberet, tamen in re hac, quæ observationem dierum festorum in DEI honorem institutorum spectat, magis ex Jure Canonico, quam Civili controversia est decidenda.

48 Quæritur 6. an Appellatio interponi possit in die festo? Hanc extra casum necessitatis, quo videlicet Jus appellandi propter elapsam decendium evanesceret, invali-

dè interponi existimat Zoes. hic n. 18. & novissimè R. P. Schmier de Judic. c. 5. n. 56. & seqq. Suarez c. 30. cit. n. 13. & Reginald. l. 19. prax. n. 45. y. quinta questio, de licentia illius dubitant, & propterea in praxi ejus dilationem in diem non feriatum suadent. Ratio dubitandi est multiplex. 1. Quia nullo Jure habetur, quòd licita, & valida sit Appellatio Judicialis in die festo. Igitur absque fundamento admittitur. 2. Ad appellandum Jura concedunt 10. dies, inter quos moraliter loquendo plures profesti sunt, igitur non videtur esse necessitas interponendi Appellationem in die festo. 3. Cum proponitur Appellatio, Judex cognoscere debet, an justa sit, atque legitima. Atqui causa cognitio ad strepitum Judicalem pertinet. 4. Appellatio Judicialis est pars processus, sed Processus habitus die festo non tenet. Ergo nec Appellatio. 5. Interpositio Appellationis fit coram Judice, facit initium novæ controversiæ, Judicio, & instantiæ, suspendit Jurisdictionem in Judice à quo, & firmat illam in Judice ad quem. Igitur ad strepitum Judicalem pertinet. 6. Prosequi appellationem in die festo illicitum est ex l. quoniam 1. C. h. tit. ergo à fortiori illam statuere.

Sed non obstantibus his fundamentis, dico probabilius appellationem fieri licitè in die festo. Ita Gloss. in c. fin. y. quibus utique h. tit. Abb. ibid. n. 13. Fagnan. n. 21. Wagnereck not. 3. Brunnem. in l. 1. C. h. tit. in fin. Hiltrop. p. 2. tit. 36. n. 15. Gaill. l. 1. obs. 53. n. 11. Pal. tr. 9. D. un. p. 7. n. 14. Haun. tom. 5. tr. 3. n. 214. Sabell. summ. §. feria n. 3. Vall. hic n. 15. Pirh. n. 34. König n. 15. Sannig e. 2. n. 5. & Palao teste communis DD. Ratio est, quia Appellatio non est actus Judicialis; neque enim est exercitium Jurisdictionis, cum non à Judice, sed à parte, & sine strepitu fiat, perque eam à Judicio recedatur. Deinde etsi Judicialis esset, tamen videtur esse permessa, eo quòd pertineat ad defensionem propriam, quæ cuivis Jure naturali, & quovis tempore est permessa.

Rationes in contrarium allatæ non multum urgent. Ad 1. etsi Jure scripto non habeatur, quòd die festo sit licita Appellatio, habetur tamen ejus licentia ex consuetudine, & communi DD. sententia, quæ Legem scriptam interpretatur. Ad 2. sæpe aliunde potest esse moralis necessitas interponendi Appellationem in die festo e. g. quia, qui appellare debet, absens est, aut quia pauper, aut quia aliunde cogitur ad appellandum die festo. Ad 3. cognitio, quæ requiritur ad concedendam Appellationem, ut ipsa Appellatio, honestari potest ob defensionem jure naturæ concessam; & etsi ipsa esset prohibita, provocatio tamen propterea non prohibetur. Ad 4. ex hoc, quòd prohibeatur, & annulletur Processus Judicialis, non

non sequitur, quòd prohibeatur, & annulletur omnis illius pars, sed tantum, quòd illa, quæ autoritatem Judicis imbibit; hanc autem non imbibit Appellatio. Ergo &c. Ad 5. N. Consequent. Ratio est, quia fit sine strepitu Appellatio, & est defensio propria. Ad 6. prosecutio Appellationis non potest fieri sine strepitu Judiciali, neque adeo necessaria est, ut Appellatio.

51 Quæritur 7. quæ sit causa excufans, ut in diebus feriatis actus Judiciales exerceri possint? *1y. c. fin. h. tit.* duo excipiuntur casus, necessitatis nempe, & pietatis: quibus casibus si causæ die feriato tractentur, sive deinde Civiles illæ sint, sive Criminales, sive spirituales, sive temporales, licet, & validè tractari possunt. *Proceditque* hoc non tantum in ferijs profanis, sed etiam in Sacris, quamvis ut in ferijs sacris agitari causæ Judiciales possint, major, & gravior requiratur causa, quàm in profanis, & in profanis, quæ ob publicam causam principaliter institutæ sunt, major, quàm in ferijs rusticis. In particulari

52 *Ex causa necessitatis* die feriato Judicia tractari possunt. 1. Si res, vel actio tempore sit peritura *c. fin. v. verum de Judic. l. ne quis 1. § duabus seqq. ff. h. tit. Laym. l. 4. tr. 6. c. 2. n. 7. Sabell. §. ferie n. 2. Schamb. n. 18. hic Wiest. n. 19.* 2. Quando debitor suspectus est de fuga, dilapidatione, vel deterioratione rei, super qua est conveniendus, Sequitur ex præcedente, & cum *citt. docet Wiest. supra.* 3. Si partes litigantes, ut plerumque pauperes, & rustici homines, alijs diebus sine notabili incommodo comparere, aut in Judicio vocari nequeant. *Navar. Man. c. 13. n. 13. Suar. c. 30. n. 18. Sabell. n. 3. cum alijs supra.* 4. Si contra

latrones sit procedendum, & periculum sit in mora *l. Provinciarum 10. C. h. tit.* ubi ratio additur: *Ne sceleratorum differatur proditio consiliorum.* 5. Si delinquentem propter atrocitatem criminis ad exemplum, & terrorem aliorum in magno populi affluentis concursu plecti publicè interesset, *Suar. n. 19. Fagnan. in c. fin. cit. n. 13. §c.* juxta quos ita alicubi contra latrones, & contra Hæreticos proceditur in Italia. 6. Cum periculum est damni publici, aut privati, spiritualis, aut corporalis; tunc enim ad amolendum hoc damnum permittitur Judicium institui die festo. *Pirh. & alij supra:* & ratio est, quia hujusmodi damnum imponit necessitatem moralem; necessitas autem Legem non habet *c. consilium 2. in fin. de observ. jejun.*

Ex causa pietatis, & misericordie festis 53 diebus expediri possunt 1. causæ alimentorum, carceratorum, pupillorum, viduarum, pauperum, & miserabilium personarum; quia in operibus misericordie dierum distinctio non est habenda. *Gloss. in c. fin. cit. v. pietas.* 2. Quando alioquin, si differretur causæ cognitio, pia causa pateretur incommodum; quia summa est ratio, quæ pro religione facit *l. sunt persona 43. fin. ff. de Relig. § sumpt. funer.* 3. Cum hoc exigit pietas, & observantia erga Patriam. *Suar. n. 20. Pirh. l. cit.* 4. Si causa sit matrimonialis, & periculum incontinentiæ, nisi diebus feriatis judicetur de valore Matrimonij, & impedimenti illius. *Haun. tom. 5. tr. 3. n. 218.* 5. Quolibet die feriato expediri possunt, quæ pertinent ad pacem, & concordiam *can. decrevit 17. caus. 22. q. 5. ibi: Nisi de concordia, & pacificatione:* Unde eodem tempore etiam transactiones, & pacta fieri possunt.

TITULUS X.

De Ordine Cognitionum.

SUMMARIUM.

1. Ratio Rubricæ datur.
2. Prius cognoscendum de causa, à qua pendet altera.
3. Et præjudicialis.
4. Item major præ minori.
5. Exceptio Peremptoria, & Dilatoris præ causa principali.
6. Et hæc quidem terminanda per sententiam.
7. Ad illam sententiã opus non est.

Post litem contestatam, & Juramentum Calumniæ præstitum, datæque, & lapsas Dilationes, quæ Reo ad responsionem parandam concessæ sunt, ulterius proceditur: & quidem si Reus, lapsis Dilationibus, non compareat, nec respondeat, ob hujus contumaciam A-

8. 9. 10. 11. Quid si causa principalis incidens ad Forum diversum spectant?
12. 13. 14. An Judex Laicus incidenter cognoscere possit de questione facti in causa spirituali?
15. 16. 17. 18. Quid Juris, si reus conventus contra actorem opponat actionem, vel exceptionem Spolij?

ctor mittitur in possessionem bonorum Rei; si verò compareat, & respondeat, utrinque ad probationes pergatur. Quia verò, antequam Reus petitioni Actoris respondeat, ipse vicissim nonnunquam solet aliquam questionem proponere vel per modum actionis, vel quod frequentius est, per modum exceptionis.